



## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorvm**

**VD16 B 5530**

Quarta Conclusio. Quod huiusmodi dura immittantur per extensionem pororum, & pori iterum immiſſis huiusmodi rebus duris occludantur, imaginarium est, & à naturali ratione alienum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

astantium, & veras res velocissimè afferre, & apponere, motis prius doloribus & torsionibus in corpore, & membro infecto, quasi lateant intus res naturales.

*Quarta Conclusio. Quod huiusmodi dura immittantur per extensionem pororum, & pori iterum immixtis huiusmodi rebus duris occludantur, imaginarium est, & à naturali ratione alienum.*

QVIA pori ita sunt à natura constituti, ut præter tenuissimum liquorem & sudorem nulla solida substantia egredi valeat, nec patiantur sine cutis & carnis scissione tantam extensionem, ut tam crassæ, duræ & solidæ materiæ immittantur, ut omnibus ratione utentibus ad sensum patet. Quantum ad illa, quæ adferuntur pro similibus, dissimilia potius sunt. Aqua enim est liquida, & diuiditur in omnem loci differentiam, & ad immissionem alterius solidi corporis statim cedit, & educto tali corpore iterum coadunatur. At alia ratio est corporis humani solidi: diuisum sine sensu & dolore non coniungitur. De ictu fulminis etiam alia ratio est: Quia, ut Physici tradunt, eius est naturæ, quod durum lædat, nullo apparente signo in molli. Sic quandoq; experientia cognoscimus in hominibus fieri, ut carne integra manente exterius, ossibus & ner-



uis interius contractis & contritis, fulminis i-  
ctus hominem lædat. Ad hoc facit quod Isido-  
rus lib. 13. Ethymolog. Seneca lib. 5. & 6. natu-  
ralium quæstionum, & Plinius lib. 2. hist. nat.  
& alij tradunt, quod fulmen talis sit naturæ,  
quod oculis & bursis in nullo læsis, sed inte-  
gris manentibus, suo tactu conflatur & consu-  
mit pecunias, aut gladium in vagina liquefa-  
cit, vagina intacta. Non enim fulmen eodem  
modo omnem materiam lædit. Quæ enim ob  
duritiam ei resistunt, vt lapis, ferrum, æs, & si-  
milia, vehementius & fortius dissipat & conte-  
rit: teneris, mollibus & rarioribus parcit. Hinc  
contingit, vt dictum est, quod quando homi-  
nem lædit, nihil vulneris exterius apparet,  
contritis interius ossibus.

*Quinta Conclusio. Existimo non esse  
negandum, aliquando res huiusmodi duras  
in partibus corporis, Dæmonis potentia &  
maleficorum opera includi.*

**Q**VIA multorum hominum diligenti ocu-  
lari inspectione compertum est, similes  
materias è corporibus excisas & remissas esse. In  
eis autem, quæ multis ad sensum patent, om-  
nia ad deceptionem referre, quando clara  
sunt testimonia etiam Doctorum, infirmus est  
intellectus. Quia multa sunt, & fiunt, & non  
est dubium ea esse, quæ tamen rectè non pos-  
sunt